

## TEXT 2. Augustini Confessiones

<http://www9.georgetown.edu/faculty/jod/latinconf/latinconf.html>

[http://www.logicmuseum.com/authors/augustine/confessiones/confessiones-1.htm#1\\_1\\_1](http://www.logicmuseum.com/authors/augustine/confessiones/confessiones-1.htm#1_1_1)

### Liber I, Caput 1

Magnus es, domine, et laudabilis valde:  
magna virtus tua, et sapientiae tuae non est numerus.  
et laudare te vult homo, aliqua portio creaturae tuae,  
et homo circumferens mortalitem suam, circumferens  
testimonium

peccati sui et testimonium, quia superbis resistis:  
et tamen laudare te vult homo, aliqua portio  
creaturae tuae.

tu excitas, ut laudare te delectet,  
quia fecisti nos ad te et inquietum est cor nostrum,  
donec  
requiescat in te.

da mihi, domine, scire et intellegere, utrum sit prius  
invocare te an

laudare te, et scire te prius sit an invocare te.  
sed quis te invocat nesciens te?

aliud enim pro alio potest invocare nesciens.  
an potius invocaris, ut sciaris?

quomodo autem invocabunt, in quem non  
crediderunt?

aut quomodo credent sine praedicante?  
et laudabunt dominum qui requirunt eum.  
quaerentes enim inveniunt eum et invenientes  
laudabunt eum.

quaeram te, domine, invocans te, et invocem te  
credens in te:  
praedicatus enim es nobis.

invocat te, domine, fides mea, quam dedisti mihi,  
quam inspirasti  
mihi  
per humanitatem filii tui, per ministerium  
praedicatoris tui.